

28 et 29. *Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.*

Probatur 2^o ex sensu communi : Papa habet cardinalium consilium, quo sæpius utitur; Imperatores, Reges et Principes suum habent consilium, sine quo nihil agere solent; gubernatores provinciarum, ac magistratus civitatum, oppidorum et etiam pagorum consilium habent, quo in administratione sua uti debent.

Unde provida mater Ecclesia capitulum in ecclesia cathedrali instituit, quod et officium divinum prout oportet, in ea celebraret, et simul ejusdem ecclesiae senatus ac Episcopi foret consilium. Si enim Summus Pontifex in Ecclesiae regimine consilio utatur; si imperatores aliique præfati eo utantur pro directione rerum temporalium; quanto magis oportet, ut eo utatur Episcopus, qui sæpe quæstiones dubias dissolvendas, gravesque difficultates cavendas habet. Quanta præditus fuerit scientia, capacitate aliisque qualitatibus, manet tamen homo, qui erroribus exponitur, qui non omnia considerat, et sicut experientia docet, ab inferioribus etiam instrui potest.

II. Consilium, quod adhibendum est, in quantum potest, independens esse debet, ne timor, respectus humanus aliave consideratio ullum habeant influxum in consilium dandum. Qualescumque enim consilarii fuerint, omni etiam exceptione majores, semper tamen etiam manent homines, infirmitatibus obnoxii ac passionibus expositi.

Ut consilium sit independens, consilarii vel sunt perpetui, si ab ipso superiori, cui sunt a consiliis, nominantur, quales sunt Cardinales respectu Papæ, et canonici respectu Episcopi; vel si non sint perpetui, communiter non nominantur ab ipso superiori, cujus consilium efficiunt, sed ab aliis, quales in pluribus regionibus sunt consilarii status et magistratus.

Tale non foret consilium, cujus membra sive ex capitulo sive extra illud ab Episcopo pro libito nominarentur : isti enim consilarii omnino forent dependentes, et eatenus magis apti ad gratum quam ad verum et opportunum consilium dandum.

§ 4. *Quid est consilium aut consensum capituli petere, et quæ utriusque differentia.*

Ad consilium aut consensum petendum, non sufficit, singulatim a singulis petere canonicis, quid censeant, sed requiritur ut petatur

tur a capitulo capitulariter congregato. Hoc fieri potest Episcopo præsentem vel absentem, prout Concilium Tridentinum sess. XXV de reform. cap. VI statuit his verbis : " Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur : episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. Absente vero Episcopo, omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur. "

Latam intercedit discrimen inter consilium et consensum. Ubi jura capituli consensum exposcunt, Episcopus facere cogitur illud, quod major pars canonicorum faciendum concluderit : alioquin nulliter agat (1). Ubi vero tantum exigunt capituli consilium, sola consultatio cum capitularibus capitulariter congregatis facta sufficit, quin Episcopus ulla adigatur lege, ad eorundem amplectendam sententiam, etiamsi irritus foret actus, si tale consilium seu consultationem non adhibuisset (2). Quod si capitulum consilium dare noluerit, acta Episcopi valent, si contra illa nihil aliud rationabile apponatur (3).

Nec tamen inutile reputandum est canonicorum consilium : etsi enim Episcopus illud sequi non teneatur; consulentium tamen rationibus instruitur, atque edocetur, ne inconsiderate et præcipitanter agat; cogitur melius deliberare negotium, illudque maturius resolvere; atque capituli consilio instructus ac motus aliquid faciet, quod per se non fecisset. Quapropter ipse Romanus Pontifex ardua negotia sine Cardinalium consilio decernere non solet, quamquam sciat, supremæ suæ potestatis exercitium ab eorundem assensu nequaquam pendere (4).

§ 5. *Quomodo petendum et dandum est consilium vel consensus.*

Episcopus ad petendum consilium vel exquirendum consensum capituli duplici modo uti potest : vel ipse potest capitulum convo-

(1) Vid. infra § 7 in fine.

(2) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. 1, n. VI; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 1, 2, 3 et 11; Andreucci de tuenda pace n. 191.

(3) Abbas in cap. Novit n. 5; Ferhinc lib. III, Decretal. tit. X, n. 18 not. 2^o; Leurenus *Forum ecclesiasticum* lib. III, tit. 10, quæst. 106.

(4) Bened. 14 de Syn. ibid. Reiffenstuel ibid. n. 3.

care, ei praesidere, rem proponere ac capitularium vota exquirere, modo non agatur de re ad suum vel suorum commodum spectante; in hoc enim casu, ut capitularibus libertas relinquatur, Episcopus capitulo interesse, ei praesidere, vota quoque colligere nequit: vel Episcopus rem ad deliberandum capitulo proponere potest scripto vel etiam viva voce communicata sive primae dignitati, sive alii ad quem de jure vel consuetudine spectat, ut in capitulo legitime congregato proponatur et discutiatur; ac deinde capituli deliberatio, consensus vel dissensus, Episcopo scripto, quod magis convenit, vel etiam eadem viva voce renuntiari valent.

Cum Episcopus capitulo aliquid ad deliberandum proponit, aliquo tempore capituli responsum expectare tenetur (1). Canonici tamen responsum ultra modum differre nequeunt, sed ea qua decet diligentia ac obsequio, quam primum possunt, Episcopi desiderio satisfacere tenentur. Interim quaestionem propositam bene examinare debent; nec excusantur dicendo se ea carere peritia, quae ad similia dissolvenda requiritur: sicut enim quilibet, ut status sui muneribus satisfacere valeat, sui status notitiam sibi comparare tenetur; sic canonici in conscientia curare tenentur, ut sufficientem possideant doctrinam, quam status sui officium exigere potest.

Consensus si requiratur, tacitus aut praesumptus non sufficit; quocumque autem modo exprimatur, sive verbo, sive scripto, sive alio modo, valet, modo collegialiter et capitulariter praestetur (2).

Consilia si petantur, danda sunt sana, aequa et justa. Quod canonici praestabunt, si humano non moveantur respectu aut timore, sed Deum praese oculis habeant ac bonum ecclesiae, et non intendunt privatam commodum neque propriam existimationem (3).

Sive autem consilium sive consensus exquiratur, 1° canonici quod coram Deo sentiunt, ingenue aperire tenentur; nec possunt sine culpa sententiam suam reticere aut ambiguis verbis proferre; sed mentem suam vera animi sinceritate manifestare debent, etiamsi agatur de rebus, in quibus sciunt liberum esse Episcopo ab eorum consilio deviare, et etiamsi praevideant, votum suum ab aliis canonicis atque ab ipso Episcopo respuendum: alias enim agere foret abuti munere consiliarii, et proximum decipere (4).

(1) Pichler lib. III Decretal. tit. X, n. 2; Scarfontonus lib. IV, tit. XII, n. 17.

(2) Leurenius forum eccl. lib. III Decretal. tit. 10, quaest. 109; Louvrex dissert. 18, n. 11.

(3) Andreucci n. 218.

(4) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. 1, n. VII; Andreucci n. 219.

2° In dando consilio aut consensu oportet, ut canonici procedant magna cum modestia ac debita cum reverentia, sicut postulat ipsa episcopalis dignitas, dicente Scriptura Sacra Lev. XIX, 32. *Honora personam senis*, et I ad Tim. V, 17. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur* (1).

3° Canonicis diligenter observandum est, ut fideles sese praesentent in servando secreto; ut a quolibet detegendo secreto abstineant, nisi quandoque lex divina aut naturalis aliter mandaret; nec faciliter sese excusent, sibi persuadendo rem esse levem, nam saepissime plurimum interest res etiam leves sub secreto servare (2).

§ 6. Quando dandum et petendum est consilium.

I. Canonici sese paratos exhibere tenentur ad Episcopum consilio juvandum, quandocumque Episcopus postulaverit; ultro tamen sese offerre communiter non debent; sed tantum obligantur, dum ab Episcopo rogantur, uti innuit Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. VI de reform. ubi praescribens: *Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant... ipsi capitulum convocent, vota exquirant* etc. supponit, a capitulo tunc dandum esse consilium, quando Episcopus aliquid ad deliberandum proponit: et prout notatur in Bulla erectionis episcopatus Vallis Guidonis 1855 in Gallia his verbis: - Hujusmodi capitulum ita a Nobis constitutum » teneatur nedum divina officia sicuti in caeteris cathedralibus rite » seduloque peragere, verum etiam in gravioribus dioecesis negotiis » vel discutiendis vel impensius peragendis tum consilio tum opera » praesto esse suo episcopo, quatenus ipse oportere censuerit. » Dicitur tamen *communiter*, quatenus extraordinariae occurrere possunt circumstantiae, in quibus canonici etiam non rogati, obligati esse possunt, ut infra dicitur cap. XVII, § 1 et 2.

II. Consilium generaliter petendum sive adhibendum est, quando jus expresse id requirit, vel necessitas specialis id postulat, notatis tamen limitationibus, de quibus agetur § 8.

1° Episcopus de consilio capituli providere debet, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio habeatur, vel saltem detur magister ab Episcopo

(1) Andreucci n. 220 et 221.

(2) Andreucci n. 214-217.

cum consilio capituli eligendus, qui clericos doceat, ut deinceps ad ipsa Sacrae Scripturae studia, annuente Deo, transire possint (1).

2° Episcopus cum consilio capituli designare ac distribuere debet, prout viderit expedire, quibus canonicatibus quisque ordo sacer annexus in posterum esse debeat (2).

3° Si aliquem ex iudicibus synodalibus mori contigerit, ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum usque ad futuram synodum substituere debet (3).

4° Episcopus non nisi cum consilio capituli instituere et destituere debet Abbates, Abbatissas aliasque personas ecclesiasticas (4).

5° Episcopi est, cum consilio capituli, indicere et decernere processiones, atque praefinire quo, quando et qua derigendae ac deducendae sint, tam ordinariae quam extraordinariae, sicut etiam easdem ex causa pluviae aliave ratione legitima transferre (5). Episcopo absente aut mandante haec pertinent ad vicarium generalem, similiter cum consilio capituli (6).

6° Quamvis Episcopus, excluso capitulo, jus habeat et potestatem convocandi synodum, et in ea condendi statuta; quoad statuta tamen et constitutiones synodales consilium capituli exposcere debet: alioquin omisso capituli consilio non valerent. Episcopus tamen capituli consilium sequi non tenetur, nisi quid decernatur de re, ad quam capituli consensus de jure exigitur (7). Ut igitur Episcopus procedat, quo melius et materius fieri potest, « decet profecto, ut » constitutiones synodales ante synodum singulis canonicis expendas tradat, omnibusque deinde in unum congregatis, quid de » iisdem sentiant, requirat, et audiat. Postquam vero capitulum » suum protulit iudicium, in Episcopi arbitrio erit, aut illi acquiescere. aut in suo proposito persistere, prout magis expedire » caverit » (8).

(1) Conc. Trid. sess. V, cap. 1 de reform.

(2) Conc. Trid. sess. 24, cap. XII de reform. Barbosa de canonicis cap. 42, n. 20.

(3) Conc. Trid. sess. 25, cap. X de reform.

(4) Lib. III Decretal. tit. X, can. IV *Novit*; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 29.

(5) S. R. C. 14 Feb. et 28 Mart. 1626, *Elboren*; 31 Maji 1642, *Montis Pelusii*; 21 Jan. 1690, *Hispaten*, 1.

(6) S. R. C. 28 Sept. 1630, *Vigilien* et 21 Jan. 1690, *Hispaten*, 3.

(7) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. I, n. IX et seq. qui ibidem in confirmationem plura affert decreta S. C. C.; Scarfantonus lib. 4, tit. III animadv. 6-11; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 20 et 23; Lucius Ferraris *capitulum*, art. 2, n. 21-25.

(8) Ita Bened. XIV de Syn. loco cit. n. XV.

« Quod si Episcopus, inconsulto capitulo novas constitutiones » ediderit, atque in synodo promulgaverit, illae profecto, utpote » deficientes a norma a jure praescripta, firmitate carebunt; » quamvis, si justae et rationabiles deprehendantur, sanari queant » a Sacra Congregatione Concilii: quod aliquando factum, testatur » Cardinalis Petra » (1).

7° In inquirendis, corrigendis et puniendis delictis et excessibus clericorum per censuras aliasque poenas Episcopus indiget consensu aut saltem consilio capituli juxta Canonem VI *Episcopus nullius* causa XV, q. VII, et Canonem *Pervenit* lib. V. Decretal. tit. 31, can. 1. Hodie autem Episcopi contra capitulum praescripserunt; ita ut soli sine consensu et consilio capituli inquirent et procedant, clericos corrigant, atque censuras ferant, ipsisque libera sit facultas inquirendi et puniendi cunctos omnium suorum subditorum excessus (2).

8° Episcopus in ordinatione clericorum seu in ordinibus conferendis, consilium capituli adhibere tenebatur juxta Canonem VI *Episcopus sine consilio* dist. 24. Hanc autem juris communis dispositionem immutavit Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 4, 5 et 7 de reform. ita ut Episcopus consilium capituli adhibere non debeat, et ordinandi nunc examinandi sint, sicut in Concilio Tridentino ibidem praescribitur (3).

9° Capituli consilium Episcopus adhibere debet, quando necessitas id postulat, videlicet in omnibus arduis et majoribus negotiis (4). Ratio est, quia Episcopus et capitulum constituunt unum corpus morale unamque ecclesiam, et sic in agendis rebus majoribus non decet caput separari a membris et reliquo corpore. Minora vero negotia Episcopus sine capituli consilio peragere potest, quia, cum ecclesiae administratio ad ipsum pertineat, haec nimis gravis et coarctata foret, si in quibusvis negotiis consilium adhibendum foret (5).

(1) Ita Bened. XIV de Syn. loco cit. n. XVI.

(2) Fagnanus in 2 p. I Decretal. De off. Jud. ord. cap. *Irrefragabili*, § *Excessus*, n. 9; Giraldis Expositio jur. Pontif. sect. 747 et 868; Scarfantonus lib. 4, tit. XII, animadv. 23; Andreucci n. 232; Bouix de capitulis p. IV, c. III, § VI.

(3) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 30.

(4) Lib. III Decretal. tit. X *De his quae fiunt a Praelatis sine consensu capituli*, et auctores communiter.

(5) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 7 et seq. Schmitz lib. III, tit. X; Scarfantonus lib. 1, tit. 2, animadv. 4 et 5; Andreucci n. 207; Bouix de capitulis, supplementum III.

Not. hæc omnia intelligenda esse de illis, in quibus Episcopus procedit jure ordinario; nam in illis, in quibus agit ut delegatus Sedis Apostolicæ, vel jure extraordinario, v. g. devolutivo, nullam cum capitulo habet communionem, ejusque consensu aut consilio non indiget (1).

§ 7. Quando consensus capituli exquirendus est.

I. Episcopus generaliter non nisi in casibus in jure expressis tenetur consensum capituli petere et expectare (2).

1° Consensus capituli generatim requiritur in omnibus casibus et negotiis, in quibus notabilis aliqua obligatio ecclesiae imponitur, aut in quibus vertitur ecclesiae vel capituli interesse sive præjudicium (3).

2° « In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus, reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciores numerum reducere » (4).

3° Jus consensum capituli expresse exigit in alienatione rerum ad ecclesiam cathedralem vel capitulum pertinentium, dummodo sint immobiles vel mobiles pretiosæ (5). Cum autem ad alienatio-

(1) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 14; Andreucci n. 213; Pichler lib. III Decretal. tit. X, n. 3; Acta S. Sedis vol. XIII, fol. 305.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. XII, animadv. 2.

(3) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 12, 15 et 16; Scarfantonus lib. 4, tit. XII, animadv. 3 et 16; Pichler lib. III Decretal. tit. X, n. 3.

(4) Conc. Trid. sess. 24, cap. XV de reform. Zamboni tom. 4, *Canonicatus* § XIII; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 14; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 19; Bouix de capitulis p. 4, cap. 3, § V.

(5) Causa XII, q. II, can. 52 *Sine exceptione*; lib. III Decretal. tit. X, can. I, *Irrita*; tit. XIII; Sexti Decretal. lib. III, tit. IX, can. II *Hoc consultissimo*, etc. Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 14; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 7; Pirhinc. lib. III Decretal. tit. X, § 1; Andreucci de tuenda pace n. 192-194; Bouix de capitulis p. 4, cap. III, § 2.

nem honorum ecclesiasticorum requiratur beneplacitum Apostolicum juxta Extravagantes communes lib. III, tit. IV *Ambitiosæ*; ita ut alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam hujus Extravagantis *Ambitiosæ*, excommunicationem non reservatam latæ sententiæ incurrant ex Constitutione SS. D. Pii IX *Apostolicæ Sedis* 1869: inde dubitatur, an beneplacitum Apostolicum non suppleat consensum capituli, vel an præterea capituli requiratur consensus: juxta Sexti Decretales lib. III, tit. IX, can. II *Hoc consultissimo* capituli consensus et Apostolicæ Sedis licentia simul requiruntur (1), licet plures tamen putent, consensum Papæ eximere a necessitate obtinendi consensum capituli, quando iste requiritur tanquam solemnitas, non vero si requiratur tanquam consensus partis, cujus interest (2). Ad alienationem tamen rerum parvi valoris nec Papæ nec capituli consensus necessarius est (3). Sacra Congregatio Episc. 22 Mart. 1611 censuit pretium parvi valoris intelligendum esse de valore viginti quinque scutorum auri (4), id est circiter 188 francorum; certa autem atque indubitata hodie regula est, ut consuetudini cujusque diocesis legitime præscriptæ standum sit (5).

4° Requiritur capituli consensus in unione unius ecclesiae alteri ecclesiae seu dignitati vel præbendæ per Episcopum faciendæ, aut si ecclesia parochialis monasterio donetur (6).

5° In administratione honorum et reddituum ecclesiae; si enim hæc omnia sint communia inter Prælatum et capitulum, ad eos simul administratio spectare debet (7).

(1) De Angelis, Prælect. jur. can. lib. III, tit. XIII, n. III.

(2) Cardinalis Petra, Comment. in Constit. S. Leonis s. 3, n. 3 et seq. tom. 1; Bouix loco cit. n. 12; Craisson Manuale jur. Can. n. 2405.

(3) Andreucci n. 192.

(4) Cardinalis Petra in Decretal. *Ambitiosæ*, sect. 2, n. 59; Bouix loco cit. n. 13; Craisson, n. 2406.

(5) S. C. C. 21 Jul. 1827, *Forosemprontien*, Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, fol. 504, n. 276.

(6) Causa XII, quæst. II, can. 73, *Si Episcopus*; lib. III Decretal. tit. X, can. VIII, *Tua nuper*; Clement. lib. III, tit. IV, can. II *Si una*; Barbosa de canonicis c. 42, n. 8; Pirhinc. lib. III Decretal. tit. X, n. 8-10; Lucius Ferraris *capitulum* art. 2, n. 4; Bouix loco cit. § III.

(7) Lib. III Decretal. tit. X, can. IV, *Novit*, et V *Quanto*; Barbosa loco cit. n. 3; Lucius Ferraris loco cit. n. 2; Bouix p. 4, cap. IV, § 2, prop. 7 et 8.